

c. *Hortamur* 23, caus. 3, q. 9, can. *Non sane* 15, caus. 15, q. 6, cum similibus.

(39. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangeliiis, *Communis*, per text. in cit. can. *Nulam damnationem*, ibi: « Et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent; » cit. can. *Hortamur*, ibi: « Tactis sacrosanctis Evangeliiis, » et Clem. 1, § *Porro*, De hæreticis, ibi: « Jurabunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter a se tacta. »

(40. Episcopi autem non jurant tactis corporaliter sacris Evangeliiis, sed tantummodo iis coram se positis et inspectis, tacto suo pectore, jurant: Authent. *Sed iudex*, cod. *De episcop. et cleric.*, et c. *ultim.*, juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Per te ipsum*, De juramento calumniæ; Vestrius, in *Præct.*, lib. vi. c. 2, n. 7; Farinac. quæst. 74, num. 81 et 82; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 121, et alii, id extendentes etiam ad alios sacerdotes, aliasque personas in sacris constitutas juxta praxim et consuetudinem fere generalem.

(41. Testes possunt interdum testificari de consensu partium etiam sine juramento: potest enim a partibus tale juramentum ipsis remitti. *Communis*, per textum in c. *Tuis questionibus* 39, De testibus, ibi: « Testes producere absque juramenti depositione non possunt, nisi forte a parte remittatur adversa. »

(42. Testes examinandi sunt ab ipsomet iudice. Auth. *Ut defuncti, seu funera*, cap. 2, collat. 5, novella 60, et concordat l. *Testium* 3, ff. *De legibus*. Et id ut possint a iudice terri et cogi justum testimonium ferre, ut dicitur in cit. Authent. seu novella, et notat Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Testibus*.

(43. Ob justam tamen causam, ut si iudex fuerit legitime impeditus, aut testes fuerint remote absentes, ita ut difficulter ad iudicem accedere possint, potest iudex alteri personæ idoneæ eorum examen committere. Cit. novella 60, cap. 2, l. *Judices* 18, cod. *De fide instrument.*, c. *Constitutus* 3, § *Præterea*, De fidejussor., c. *Mulieres* 2, De judiciis, in 6.

(44. Testes secreto, et singillatim seorsim ab aliis sunt examinandi, et non plures simul. *C. Venerabilis* 52, De testibus, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Examinare*; c. *Inquisitionis* 21, § *Tertiæ dubitationis*, De accusationib., ibi: « Qui post juramentum interrogati secreto; » l. *Nullum* 15, cod. *De testibus*.

(45. Potest tamen, imo debet iudex adhibere notarium, seu duos viros idoneos, qui testium depositiones conscribant, c. *Quoniam* 11, De probationib.

(46. Et insuper in examine testium super crimine hæresis, præter notarium, adhiberi debent aliæ duæ religiosæ et discretæ personæ, textu expresso in cap. *Ut officium* 11, § *Verum quia*, De hæreticis, in 6.

(47. Examinatio testium ordinarie fit in loco iudicii, et ante prandium, dum testes adhuc sunt jejuni, et melius sibi præsentis

existunt, c. *Placuit* 1, De testibus, ibi: « Ac nullus testimonium dicat, nisi jejunus, » quod tamen, ut notat Glossa communiter recepta, *ib.*, verb. *Jejunus*: « Hoc de honestate dictum est, non de necessitate; » per text. in c. *Honestum* 16, caus. 22, q. 6, ibi: « Honestum etiam videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei. »

(48. Unde si opus sit, aut expediens videatur, potest examinatio testium fieri etiam post prandium ipsis testibus non jejunis, ut constat de communi consuetudine, et etiam extra locum iudicii ubicunque expediens visum fuerit. Glossa communiter recepta, in cit. c. *Quoniam* 11, verb. *Tempora*, De probationibus, ibi: « in quo loco facta sint, » Abbas, *ibid.*, n. 31, et alii passim, id desumentes ex ipsomet textu dicti canonis, dum ibi jubetur notarius in actis iudicii scribere depositiones testium, *loca designando, et tempora, et personas*.

(49. Personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent, text. expresso in l. *Ad personas* 15, ff. *De iurejurando*, ibi: « Ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum. »

(50. Inter personas egregias comprehenduntur episcopi. Authent. *Sed iudex*, cod. *De episcop. et cleric.*; imo etiam presbyteri et diaconi, vel etiam alii clerici. Abbas in c. *Si qui testium* 8, n. 5 et 6, De testibus; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 189; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 505; Farinac., *De testibus*, qu. 77, n. 213, cum aliis ibi citatis; item personæ illustres et in dignitate constitutæ: Felin. in d. cap. *Si qui testium*, n. 6; Farinac. *loc. cit.*, n. 210; Pirrhing, l. c., n. 189; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 105. Item doctores: l. *Medicos* 6, cod. *De professoribus*, Glossa in c. l. *Ad personas*, 15, verb. *Ad personas*, ff. *De iurejurando*; Abbas, l. c., n. 5; Farinac., l. c., n. 214; Pirrhing, cit. n. 189; Reiffenst., cit. n. 505. Item milites seu equestris ordinis personæ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 189; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 223, cum aliis ibi allegatis.

(51. Eodem privilegio gaudent etiam testes valetudinarii, et senes, vel debilitate confecti aut paupertate depressi, ita ut coram iudice commode comparere nequeant propter virium imbecillitatem vel quia, cum honestæ personæ sint, non sine dedecore suo ad locum iudicii venire possunt; unde etiam ad horum testimonium recipiendum debet iudex mittere personas idoneas et discretas, textu expresso in cap. *Si qui testium* 8, De testibus, ibi: « Si qui testium valetudinarii sunt, et senes, vel debilitate confecti, ac paupertate depressi, ita quod non possint ad vestram præsentiam adduci, ad ipsos recipiendos mittatis personas idoneas et discretas; » juncto ejus Summario sic dicente: « Iudex mittere debet examinatore discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commode venire non possunt; » cap. *Mulieres* 2, De judiciis, ubi idem de feminis statuitur.

(52. Quod autem dictum est supra num. 50, de personis egregiis, v. gr. personis illustribus, doctoribus, militibus, etc., locum non habet in causis criminalibus, quia in his magis decet ut personæ etiam egregiæ ad iudicem se conferant, quam iudex ad ipsas. Abbas, l. c., n. 1; Felin., l. c., n. 2; Farinac., l. c., n. 235 et 238; Pirrhing, l. c., n. 190, et alii per text. in Authent. *Apud eloquentissimum*, cod. *De fide instrumentor.*, ibi: « Sed hoc in civilibus tantummodo causis, nam in criminalibus testes apud iudices representandi sunt, et cum res exegerit, tormentis subijciendi; » juncta Glossa in citat. cap. *Mulieres*, verb. *Jure prohibente*, ibi: « Jure prohibente, ut in criminali criminaliter intentata. » (53. Et id superacitati doctores extendunt etiam ad causas civiles valde arduas, quia causæ civiles valde arduæ, et magni momenti æquiparantur causis criminalibus, arg. l. *Advocati*, cod. *De advocat. diversor. judicior.*

(54. In examinatione testium, ultra interrogatoria generalia, quæ eis fieri solent, nempe eujus sint ætatis et conditionis, an sint conjuncti producenti, an inimici parti adversæ, an subornati, an in causa controversa interesse habeant, et hujusmodi, sunt eis faciendi interrogatoria specialia circa causam controversam, et ejus peculiare circumstantias, quæ generatim ad decem reducuntur, prout habentur expressæ in cap. *Cum causam* 37, De testibus, ibi: « De singulis circumstantiis prudenter inquires, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama et certitudine. » Quæ decem particularia interrogatoria breviter a Glossa, *ibidem*, verb. *Tempore*, sequentibus versiculis perstringuntur:

Auditus, visus, persona, scientia, causa,  
Fama, locus, tempus, ac certum, credulitasque;  
Dum testes recipit, iudex hæc cuncta notabit.

(55. In testibus examinandis sunt omnino evitanda interrogatoria suggestiva, utpote in jure expresse prohibita: unde tenetur iudex ab ipsis abstinere, non solum quando tendunt in damnum rei, sed etiam quando tendunt in damnum fisci. Ita Farinac., *De testibus*, q. 79, n. 78; Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, q. 86, n. 8 et 40; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 319, et ipso teste, communis aliorum, per clarum textum in l. *In criminibus* 1, § 21, ff. *De questionibus*, ibi: « Qui questionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis id fecerit; alterum enim magis suggerentis quam requirentis videtur. »

(56. Unde, ut vides, interrogatoria suggestiva dicuntur, et sunt ea quæ fiunt de aliquibus in specie, sive exprimendo speciales personas, circumstantias et qualitates alicujus causæ civilis vel criminalis, seu rei gestæ aut criminis commissi, ut si iudex interroget testem, an viderit quod Paulus occiderit Petrum tali die, in tali loco, percutiendo ipsum baculo, vulnerando in capite, etc., seu, an viderit Caium tali die furari

calicem in tali sacello, furari equum in tali domo, die, etc., hoc enim modo dicitur testis interrogari per suggestionem, suggerendo nempe, seu ipsi indicando quid respondeat, scilicet: « Ita vidi, quod Paulus occiderit Petrum tali die et loco, percutiendo ipsum baculo, et vulnerando in capite, etc.; seu, vere vidi Caium tali die furari calicem in tali sacello, furari equum in tali domo, tali die, » etc. Farinac., tom. III *Praxis criminalis*, q. 84, n. 91 et 92; Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, cap. 86; Reiff., *loc. cit.*, n. 516, et alii.

(57. Duplex autem potest esse suggestio, scilicet aperta et palliata. *Suggestio aperta* dicitur, quando de ea aperte seu clare constat ex ipsamet facta interrogatione, ut liquet in allatis exemplis. *Suggestio palliata* dicitur, quando tecto aliquo modo aperitur via respondendi, sed de ea ex interrogatione non apparet; et hoc dupliciter accidit: primo, quando nullo modo apparet, de qua re testis fuerit interrogatus, ut si in Actis scribatur: *Ad opportunam interrogationem respondit*, etc. Sic enim libera datur via respondendi; secundo, quando interrogans prævenit testem in responsione, quasi subtiliter ei indicando modum respondendi; seu quando interrogans prævenit reum in responsione, si ipsemet reus interrogetur, quasi subtiliter ei indicando modum evadendi. Farinac. *loc. cit.*, num. 91, 92; Scaccia, cit. cap. 86, n. 8 et 40, cum aliis ibi citatis, et litteraliter Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 517.

(58. Confessio rei per interrogationem suggestivam extorta, non præcedentibus signis, non sufficit ad ipsum condemnandum, et omnia inde secuta sunt penitus nulla et invalida. Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, 86, num. 7 et 40; Farinac., tom. III *Prax. crim.*, q. 83, num. 84; cum pluribus aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 521; Ludovicus de Ameno, in *Pract. crim.*, tit. 19, § 4, num. 17, et ipso teste, alii communiter. Et ratio est, quia interrogationes suggestivæ sunt omnino in jure prohibitæ. *Cit. loc. In criminibus* 1, § 21, ff. *De questionibus*. « Quæ autem contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » textu expresso in cap. *Quæ contra jus* 64, De regul. jur., in 6, et concordat can. *Imperiali* 13, caus. 25, q. 2 et l. *Non dubium* 5, cod. *De legibus*.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. « Nunc (ait imperator Constantinus in l. 9, § 1, cod. *De testibus*.) manifeste sancimus ut unius omnino testis responsio non audiatur etiamsi præclaræ curiæ honore fulgeat: » quod adeo doctores extendunt, ut ne consuetudine quidem, aut per summum principem introduci possit, ut uni testi plene credatur. Confer Umm. ad *Process.*, disput. 17, num. 42.

(60. Justa vero ratione evenire interdum potest, ut unico testi credatur: Horn. *Disser. de probat. per unic. test.* Ita in praxi practicari solet, quando persona in officio publico constituta de illis testificatur quæ egit ratione officii, vel coram ipso gesta

sunt. Et ita credendum est iudici, si asserat testamentum coram se conditum fuisse, licet vel maxime iuramentum non præstet. Carpov. *Jurisprud. forens.*, part. 1, const. 16, definit. 27; Philipp., decis. 44, observ. 3, n. 18.

(61. Sic etiam nuntio publico in iis quæ ad officium ejus spectant, creditur, non item in illis, quæ extra officium sunt. Adi Mev. *Ad jus Lubecens.*, lib. 1, tit. 1, art. 3, num. 17, veluti si testificetur de executione eorum quæ ipsi sunt commissa; l. 5, cod. *De exact. tribut.*, nequaquam vero de facto tertii. (62. Idem quoque hodie locum habet quoad actuarios, secretarios, etc., cum æque juratæ personæ sint, ut fidem publicam in iis quæ ad officia eorum spectant, habere debeant: Philipp., ad decis. 38, observ. 3.

(63. Natura quoque negotii admittit aliquando probationem per unum testem, veluti si in summariissimo de præsentanea possessione agatur. Brunemann., in l. 91, cod. *De testib.*; Horn. *Dissert.* cap. 3, num. 5.

(64. Pro rei vero gravitate quandoque ne duo quidem testes sufficiunt, ut patet ex l. 18, cod. *De testib.* Disponit hic imperator, quod contra debitum in scriptis contractum testes non facile audiendi sint, qui solutionem probare velint. Quin potius qui exceptionem solutionis recte docere vult, producere debet vel quinque testes idoneos, et summæ integræque opinionis, qui solutioni præsentem fuerint, vel per apocham. (65. Cæterum moribus non quinque amplius testes requiruntur, sed duo sufficiunt. Ant. Faber, in *Cod.* lib. iv, tit. 15, defin. 23, num. 12 et sequent.; Gudelin., *De jur. novissim.*, lib. iv, cap. 11; Gronowegen, *De leg. Abrog.* ad dict. l. 18, n. 4; Sand., lib. 1, tit. 10, defin. 1.

(66. Simile quid est in l. ultim. cod. *Si certum petatur*, ubi cavetur, ut si debitum excedat x libras auri tunc chirographum, et quantia alias robur non habeat, nisi trium testium subscriptione munita sit. Sed moribus nec requiritur hæc trina testium subscriptio. Gudelin., *loco mox citato*, Gronowegen., ad dict. l. ult. Christin., vol. 5, decis. 5, num. 8.

### ARTICULUS III.

*Quoad testium exceptionem seu approbationem, coactionem et obligationem*

#### SUMMARIUM.

1. Exceptiones, quæ testibus possunt objici, sunt triplicis generis. — 2. Exceptio contra personas testium quomodo fiat. — 3. Exceptio contra eorum examen quomodo fiat. — 4. Exceptio contra eorum depositiones seu dicta, quomodo fiat. — 5. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem atestationum, alioquin non valent, nisi in tribus casibus, qui assignantur. — 6. Exceptiones contra depositiones et dicta testium opponendæ sunt post publicationem atestationum. — 7. Et idem servata proportione dicendum venit de exceptionibus contra examen testium. — 8. Nemo potest excipere contra seu reprobare testes, quos induxit pro se, sed tenetur eos admittere contra se, etiam in alio iudicio, nisi nova causa superveniat.

niat. — 9. Item potest quis excipere contra et reprobare testem antea a se productum, non solum ex inimicitia postea inter se orta, sed etiam ex quacunque nova causa de jure sufficiente ad aliquos testes repellendos. — 10. Testes probatorii possunt reprobari per alios testes reprobatorios reprobatoriorum: ultra vero non est permissum alios testes reprobatorios producere. — 11. Qui sint testes probatorii, qui reprobatorii, et qui reprobatorii reprobatoriorum. — 12. Testes legitime citati testificari recusantes in causa civili cogi possunt a iudice ad testificandum. — 13. De jure civili etiam in causis criminalibus cogi possunt testes laici ad testificandum. — 14. De jure canonico in causis criminalibus criminaliter motis etiam testes laici ordinario cogi non possunt ad testificandum. — 15. Et a fortiori dicendum est, quod testes etiam laici cogi non possunt ad testificandum de crimine occulto et non notorio, quamvis forte duobus vel tribus cognitum sit. — 16. Item nec cogi possunt testes etiam laici ad testificandum in causis criminalibus, quando ex tali testificatione imminet ipsis testibus gravis periculum, v. g. inimicitie capitalis. — 17. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam de jure canonico cogi possunt testes ad testificandum etiam in causis criminalibus motis, et signanter quando veritas aliter haberi non potest. — 18. Item sic compelli possunt testes, quando malitiose se subtrahunt a ferendo testimonio timore adversæ partis, aut gratia, vel odio aliquo. — 19. Item sic cogi possunt, quando pars adversa malitiose impedit eorum productionem. — 20. Item testes cogi possunt ad testificandum in crimine hæresis, læsæ majestatis, conjurationis, Simonie, et aliis similibus atrocioribus delictis. — 21. Ad testificandum regulariter in nulla causa cogi possunt parentes et liberi contra se invicem; imo illi neque volentes admittuntur. — 22. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum agnati et cognati contra suos consanguineos usque ad tertium gradum inclusive. — 23. Item regulariter in ulla causa cogi possunt ad testificandum contra se invicem socer et socrus, gener et nurus, vitricus et noverca, privignus et privigna, patruus et amita, avunculus et matertera, maritus et uxor, et hujusmodi affines. — 24. Item regulariter in nulla causa cogi possunt liberti ad testificandum contra patronos, nec patroni contra suos libertos. — 25. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum senes majores lxx annis, valetudinarii, milites, et illi qui cum magistratu republicæ causa absunt, vel quibus venire non licet. — 26. Supradicti tamen privilegiati cogi possunt ad testificandum in aliquibus casibus; et signanter quando veritas aliter quam per ipsos haberi non potest. — 27. Item dicti privilegiati cogi possunt ad testificandum in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis atrocissimis exceptis criminibus. — 28. Clerici autem et religiosi, ubi agitur de imponenda pœna sanguinis, nequidem cogi possunt ad testificandum in dictis criminibus exceptis propter periculum irregularitatis. — 29. Clerici, si non adsunt alii testes, cogi possunt ad perhibendum testimonium veritatis, etiamsi cederet in aliquod damnum Ecclesiæ. — 30. Non obstante iuramento, quo testis juravit, se nihil dicturum, neque deponiturum in iudicio, potest is ad testificandum compelli. — 31. Imo talis potest testificari nulla prævia dicti iuramenti absolutione. — 32. Consultius tamen est absolutionem ejusdem ad cautelam petere; vel saltem quod iudex prius declaret nullitatem ipsius. — 33. Testes an et quando possint, vel non in præstando iuramento uti restrictione mentali, seu amphibologia aut æquivocatione? *remissive.* — 34. Obligatur testis sub gravi peccato ex charitate et sponte sua testimonium dicere, quando proximus in gravi necessitate de vita, fama vel bonis fortunæ periclitatur, et malum testando, impediri potest. — 35. Ex

justitia autem legali, seu ex obedientia tenetur sub gravi testimonium ferre solum, quando a competente iudice legitime est citatus et interrogatus. — 36. Iudex quando censeatur juste et iudice exigere a testibus testimonium. — 37. Assignantur aliqui casus, in quibus testis sub mortali tenetur testimonium ferre in legitimo iudicio. — 38. Assignantur aliqui casus, in quibus testis non obligatur testimonium ferre etiam interrogante et præcipiente iudice. — 39. Unde in dictis casibus, et quoties iudex non legitime interrogat, licitum est testimonium recusare, subterfugere, tergiversari. Aut si necessario sit respondendum, veritatem restrictione mentali eludere. — 40. Testis in pluribus peccat et assignatur quando. — 41. Testis, qui ex malitia scienter falsum deponit, præter pœnas perjurii quas incurrit, tenetur etiam ad restitutionem totius damni inde secuti propter injustitiam commissam. — 42. Item tenetur talis testimonium cum pari suo damno et periculo etiam vite, si reus a se injuste pro tali testificatus, de ea periclitetur et putetur revocando aliquid effecturus. — 43. Si autem testis ex ignorantia invincibili, inadvententia aut oblivione inculpabili falsum deposuit, quamvis teneatur retractare id quod dixit, et damnum impedire eo modo, quo potest, non tenetur tamen ex justitia ad restitutionem damni illati. — 44. Item ad restitutionem non tenetur talis testis in casu, quo a parte rei per dictum suum falsum testimonium nihil effecerit, seu nullum damnum causaverit, ex quo per falsa testimonia aliorum jam tota causa damni fuerit posita, ita ut iudex ex hoc testimonio nihil penitus fuerit motus. — 45. Testis autem, qui falsum deposuit non scienter, et nec ex notabili negligentia, seu non ex culpa lata, sed tantum ex culpa levi, licet non teneatur ad restitutionem totalis damni, tenetur tamen ad restitutionem partis juxta proportionem culpæ. — 46. Alia ad rem cum additionibus ex aliena manu, ad n. 67.

(1. Exceptiones, quæ testibus objici possunt, sunt triplicis generis, scilicet contra personas testium, contra examen testium et contra depositiones, seu dicta testium. Hiltropius in *Process. judicial.*, tit. 9, cap. 6; Pirrhing, *loc. citato*, num. 239; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 334, et alii.

(2. Exceptio contra personas testium fit opponendo ipsis quod vel omnino vel saltem respectu talis causæ inhabiles sint ad ferendum testimonium; et qui sint tales sic inhabiles, abunde patet ex supradictis art. 1.

(3. Exceptio contra examen testium fit opponendo quod non sit legitime factum vel ex defectu jurisdictionis, si nempe a iudice incompetente testes fuerint examinati, v. gr. clerici a iudice sæculari sine consensu proprii superioris, vel quia testes producti et recepti sunt ante litem contestatam, aut parte adversa non citata, aut post tertiam productionem, non observata requisita solemnitate legali, aut post didicita testificata, seu cognitæ depositiones eorum, aut post conclusionem in causa, sive renuntiationem a partibus factam productioni testium, vel quia non jurati sunt recepti et examinati, aut non singillatim, et seorsim in secreto, sed simul plures admissi, et hujusmodi, de quibus exceptionibus satis constat ex supradictis art. 1.

(4. Exceptio contra depositiones seu dicta testium fit opponendo quod deposuerint contraria, sive unus testis sibi ipsi, sive unus alteri contradicat. Vel quod deposuerint singularia, vel sine certa scientia deposuerint inverisimilia, aut penitus falsa. Vel etiam quod deposuerint per interrogatoria suggestiva sibi facta, et hujusmodi, de quibus plene constat ex dictis *supra* art. 2.

(5. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem atestationum, alioquin non valent, nisi in tribus casibus. *Communis*, textu expresso in cap. *Præsentium* 31, De testibus, ubi assignantur dicti tres casus. Primo scilicet: «Si quis cum iuramento firmiter quod ad hoc ex malitia non procedat. *Secundo*, si forsitan ante publicationem id fuerit protestatus. *Tertio*, quando quis ostendere poterit, quod post publicationem didicerit, quod obicit in personas.»

(6. Exceptiones contra depositiones seu dicta testium opponendæ sunt post publicationem atestationum. *Communis*. Et ratio est clara, quia partes ante publicationem atestationum ignorant penitus quid testes deposuerint, sicque nesciunt quid in eorum dictis, seu depositionibus sit reprobandum, adeoque, etc.

(7. Et idem, servata proportione, dicendum venit de exceptionibus contra examen testium; tales enim exceptiones, ut de se patet, nequeunt opponi, nisi quando, examine illo testium producto, altera pars cognoscere potuit, istud, se non citata, aut alias illegitime fuisse attentatum et factum. Sic præcisus verbis Reiffenstuel, *loc. citat.*, num. 673, et alii passim.

(8. Nemo potest excipere contra, seu reprobare testes, quos induxit pro se, sed tenetur eos admittere contra se, etiam in alio iudicio, nisi nova causa supervenerit. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis testibus* 17, cod. *De testibus*, ibi: «Si quis testibus usus fuerit, idemque testes adversus eum in alia lite producantur, non licebit ei personas eorum excipere, nisi ostenderit inimicitias inter se et illos postea emerisise, ex quibus testes repellere leges præcipiunt:» et concordat can. *Si testes* 3, § *Si quis testibus*, caus. 4, q. 2 et 3, ubi repetuntur ipsisima præcisiva verba.

(9. Item potest quis excipere contra et reprobare testem antea a se productum, non solum ex inimicitia postea inter se orta, sed etiam ex quacunque nova causa de jure sufficiente ad aliquos testes repellendos, ut si postea testis ille factus sit infamis, perjurus, et hujusmodi. *Communis*, arg. cit. 1. *Si quis testibus* 17, cod. *De testibus*, et citat. can. *Si testes* 3, § *Si quis testibus*, caus. 4, q. 2 et 3. Ubi enim eadem est ratio, ibi etiam eadem est legis dispositio; l. *Loco* 27, ff. *De legibus*, l. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et c. *Inter corporalia* 2, De translatione episcopi: cum ratio legis sit anima legis, leg. *Cum ratio* 7, De bonis damnatorum.

(10. Testes probatorii possunt reprobari